

*Nitri Ammoniacalis,*

si idem fiat cum particulis salis ammoniaci, vnde cum flamma odor aquæ regis spirat. In utrisque moderate id faciendum, si enim nimis absumentur partes sulphureæ cum acidis, acrius fit & facilius liquefit nitrum. Indirecte vero, & quasi aliud agendo, imo consultius idem fit, in nitro antimoniato; quæ singula interius rarius respectue præ dicendis, exterius vero in anginosis affectibus adhibentur. Posterius tamen prioribus præstat quoque.

*Nitrum Saturninum*, corporali miscela Saturni factum, hoc intacto relicto, non in usu est. Aliud autem fieri potest ex nitri antimoniati (vel purioris quoque) 3j. sacchari Saturni 3ß. affuso aceto destillato fiat solutio, filtratio, vnde, prævia leni euaporatione ad tertias, elegantes concrescunt crystalli, refrigerantes & antiheatici.

Duo vero alia ex nitro medicamenta pro interno usu non omittenda sunt, *nitrum vitriolatum*, iam Basilio Valentino in MSS. & seorsim impressis celebratum, basis arcani nephritici eiusdem, vnde desumpsit Mynsichtus, abstracto a nitro spiritus vitrioli duplo, pro acido utriusque ut concorporando, ita alterando; & cum hoc non confundendum, præ altero frequentius,

*Arcanum Duplicatum, :*

in quo sal vitriolicum, ab ochra sua separatum, cum nitro depurato intime miscetur, cuius parandi modus occasione ingredientium aquæ fortis videtur inuentus esse.

Hanc in rem etiam a priori quibusdam solet parari, ex vitrioli Hungarici viridescentis p. j. nitri part. iij. calcinando in crucibulo in furno anemio l. a. Hinc affusa aqua elixiuatio, & euaporatio fiat ad crystallisationem.

Alii, loco nitri simplicis, antimoniatum recipere malunt. Ex nitri antimoniati, iam correcti, & acido rigidiori non ita feti, v. g. 3viiij. colcotharis vitrioli 3iv. Puluerisata,

Cc

misce-